



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Petrus Cnapeus Sev Fvllō In Thoma VVegeino,
Lvtherano Theopaschita Redivivvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1609

§. 6. Quomodo sanctis Patribus placuerit hæc Fullonica ad Trisagium
additio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65394)

& improbos homines, qui eadem, quæ ipse, sentiebãt, persuasionibus secum duxit, & gravissima quæque scelera contra Patriarcham falsò conficta, ad Imperatorẽ detulit. Sed eius malitia nihil profecit, cùm Imperator Apostolicorum dogmatum esset propugnator.

*§. 6. Quomodo sanctis Patribus placuerit
hæc Fullonica ad Trisagium
additio.*

Id infra clariùs perspiciemus, cum sancti Patres nouo Fulloni nostro promeritos Panegyricos concinent. In presenti sufficiet nobis ex Patribus Damascenus, & ex Historicorum numero Nicephorus. Ille sic scribit lib. 3. cap. 10. Appendicem illam, quam stultus homo Petrus Cnaphæus in ter sancto hymno adiecit, impiã esse statuimus, vt, quæ quartam personam inducat, ac Dei filium, vimque illam Patris verè subsistentem, seorsim collocet, ac seorsim rursus eum, qui cruci affixus est, tanquam videlicet ab illo forti diuersum: aut Trinitatem sanctam passibilem esse asserat, Patremque, ac Spiritum sanctum cum Filio in crucem tollat. Procul sit hæc impia, ac adulterina nugacitas.

Idem Damascenus ibid. Quamobrem ridiculum sanè fuerit, illum ab Angelis proditum, & incumbentium malorum depulsiõne confirmatum, & tot sanctorum Patrum Cõcilio comprobatum, ac prius etiam à Seraphim decantatum ter sanctum hymnum, utpote quod tres deitatis personæ declarentur, Cnaphæi stulta, ac nulla ratione nixa opinione, tanquam scilicet ille Seraphim antecellat, obteri, ac (si superis placet) emendari, O insignem arrogantiam, ne dicam amentiam. Nos

C verò,

verò, (distumpantur licet etiam dæmones) ita dicimus; sanctus Deus, sanctus Fortis, sanctus Immortalis, miserere nobis.

Nicephorus lib. 18. cap. 51. Rîsus planè & iocus fuerit, si ab Angelis, & Seraphim ipsis proditum, atque decantatum carmen, atq; à tot sanctis sacræ synodi Patribus comprobatum, & confirmatum, quod vnam in tribus subsistentiis diuinitatem disertè deprædicat, Cnaphi primùm, & Seueri deinde opinione proculcetur, atque eorum (si superis placet) arbitrio, perinde atque si Cherubin superarent, corrigatur. Sed enim, qui hoc ita senserunt, Theopaschitæ vocati sunt, autores primarios Cnaphicum Petrum, & Seuerum, quemadmodum dictū est, & deinde Iacobum, habentes.

§. 7. *Quis nouus Cnaphicus seu Fullo, eiusdemque sacrilegum & inexpiabile piaculum.*

Est is Thomas VVegeelinus, Augustanus,

Spurcus homo, patria ista indigno locoque, Nonellus Predicans, Pappi Argentoratensis discipulus & parasitus, Lutherana Philosophia Magistellus, supercilij planè Fullonici, hoc est, fastuosissimi; nuper Tubingæ Vbiquitatis Fullonica, & Seueriana, vno verbo, Eutychniana doctor factus; quam lauream Disputatione de Christo prorsus Vbiquistica, Eutychnianistica, & Cnaptica mercatus est: in qua cum nec pauca, nec obscura Fullonici & Cnaptici seu Cnaphici sui animi specimina edidisset; tandem in præfatione (Que ordine quidem prima est, sed ut arbitror, ortu postrema) ad Nobiles & Magnificos suos Patronos & Mæcenates Fullonico candore totus, quantus, quantus est, candidatus, in publicum processit. Nam postquam varia ex intimis Eutychnianorum penetra-